

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**D. Gebh. Theodori Meieri Theologi & Prof. in Academia
Julia Antichiliasmus Absolutissimus**

Meier, Gebhard Theodor

Helmstadii, 1696

§. XXXIII.

urn:nbn:de:bsz:31-105465

ant aliud judicium vivos & mortuos concernens, quam illud in adventu Christi, quamvis & huic diversos actus, more suo omnia geminandi (v.g. resurrectionem, judicium, regnum gloriae, vitam aeternam &c.) attribuant.

XXXIII. Assertio decima quarta: Ab hoc iudicio nemo, etiam piorum, excludetur. Apostolus enim *2 Cor. V.10.* nos omnes (se quoq; non excludens,) dicit oportere manifestari ante tribunal Christi, ut referat unusquisque, quae corpore (fecerit) prout gessit sive bonum sive malum. Hoc autem judicium utique erit mortuorum, siquidem Apostolus & Corinthii vivi non sunt judicati. Erit porro Judicium illud tam piorum quam impiorum, quoniam in illo bona & mala retribuentur. Erit denique universale, quoniam omnes in eo erunt Christo sistendi. Sed haec conditiones in nullum cadunt judicium praeter illud quod in adventu Christi habendum erit. Quamvis enim praeter hoc judicium, post M. annos aliud determinent adhuc judicium Chiliaстae; non tamen concedent, in illo ipsos etiam pios & fideles esse judicandos, quippe quos in adventu Christi jam tum glorificatos esse volunt.

XXXIV. Assertio decima quinta: Neque judicium piorum separari potest a judicio impiorum, sed utrumque simul erit habendum. Ratio manifesta est ex Matth. xxv. 31. ubi hoc judicium ita describitur, ut sit separatio piorum ab impiis, ubi pii collocantur ad dextram Christi; impii ad sinistram, quae non nisi una vice possunt fieri. Non autem haec de solo viventium judicio explicare licebit, siquidem alias geminum adhuc fingendum esset judicium, vivorum nempe & mortuorum, in utroque autem fideles forent separandi ab infidelibus, & singulis prout se gesse-